

## P R A E F A T I O

rexit, totos versiculos addidit; fortasse non semper recte: Agesilaum Xenophonti reddidit, qui a Iunta inter Plutarchi vitas erat editus: libros totos perturbatius editos ordini suo reddidit. Huius editionis textum eodem anno\* Iuntina officina, diuenditis dudum prioris exemplis, ita repetiit, vt nulla re, nisi per incuriam, ab Aldino\*\* discederet. Etenim hae duae officinae in hoc certasse tum videntur inter sese, vt altera statim repeteret, quod altera prima aut bene prodidisset: quo nomine queritur *Asulanus* in operis Liuiani praefatione; pari iure licebat queri Iuntae: quamquam Aldina officina fere cum alicuius correctionis commendatione repetebat, Iuntina modo repetebat. Ceterum ignoratio duplicis editionis fecit, vt saepe altera commemoraretur simpliciter, et confunderetur cum prima. H. Stephanus quidem et Leonclavius interdum ita commemorant Florentinam vt postponant Aldinae, et exemplis nonnullis lectionum, quae e Florentina commemorantur, intellexisse mihi videor, eos habuisse modo editionem secundam. Et mirum fit, neutrum magnum illud editionis primae discrimen ab Aldina deprehendisse et commemorasse, si eam in manibus habuissent. Vnde fit, vt apud eos Florentinus liber nullum proprium momentum faciat, certe si cum Aldino memoretur.

Sed has Italicas editiones secutae sunt primum Germanicae quaedam: in his prima Basileensis anno 1540, 8: quae habet praefationis Melanthonianae commendationem: aliam omnino nullam. Etenim, id quod nos perpetua collatione in his libellis cognouimus, Iuntinam primam cum omnibus vitiis repetiit, Iuntinamque primam habet, qui hanc habet. Itaque *Philippus* necesse est praefationem rogatus scripserit, cum ipse, quid et quomodo ederetur, nesciret. Et ille nihil nisi Xenophontem ipsum laudat.

Non

\* Ob ea, quae in praef. ad Cyropaed. disputauimus, hic rescribi debet, Iuntinae, seu Florentinae, primae textum biennio post a. 1527. Z.

\*\* Corrige, ab editione Iuntina priori. Quae vero de caeterarum editionum discrepantia in praef. ad Cyrop. diximus, ea hic repetere piget. Z.